



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

III. An, & qualiter Monialibus iure posituo potuerit præcipi strictior
clausura, quàm ea, ad quam ex vi suæ professionis, aut Regulæ
tenebatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

gentes, vti colligitur ex Iudith 8. *vers. 5.* Item ex 4. *Reg. 11. vers. 2.* item ex 2. *Machab. 3. vers. 19.* ibi: *Virgines, quæ conlusa erant, præcurrebant ante Oniam.* Vide Abulensem 1. *Reg. 2. quæst. 12.* Canisium lib. 2. de *Deipar. cap. 12.* & Baronium in apparat. ad *Annal. §. si fidem adhibendam.* Fundamentum etiam habuit
 17 ex primitiua Ecclesia, quia tunc temporis etiam Maria Magdalena, & soror eius Martha cum aliis virginibus in quodam Cœnobio simul vixisse testatur Mellitus in vita ipsarum, *cap. 9.* & Tamburinus de iure *Abbatiss. disp. 18. quæst. 3. num. 1. & 2.* vbi etiam refert plura concilia antiqua, in quibus talis Monialium clausuræ vestigium aliquod cernitur, etsi illa sub præceptum formaliter non fuerit, nisi per iura positiua adducta in *dub. præcedenti.*

DUBITATIO III.

An & qualiter Monialibus iure positiuo potuerit præcipi strictior clausura, quam ea, ad quam ex vi suæ professionis, aut regulæ tenebantur?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIVM.

- 1 Præceptum de clausura strictiori non inducit nouam austeritatem prorsus alienam à priori Regula; sed potius, etsi indirectè, pertinentem ad eam.
- 2 Clausura perpetua, & inuiolata, vtpote medium valde necessarium ad promissam castitatem exequendam, Monialibus eam etiam expressè non professis præcipi potuit, & ad eandem seruandam à Prælati cogi possunt.
- 1 Respondetur, quod huiusmodi præceptum non inducit nouam austeritatem, prorsus alienam à priori Regula, sed potius, etsi indirectè, pertinentem ad eam, cum experientia compertum sit, Moniales vagari, promissæ castitati magnum præiudicium inferre. Consequenter meritò Monialibus (etiam iis, quæ eam expressè professæ non fuerant) clausura perpetua & inuiolata præcipi potuit, vtpote medium valde necessarium ad promissam castitatem exequendam, & sic ita, vt ad hanc clausuram seruandam à Prælati cogi possent. Doctores, quos citat & sequitur Rosel. *verb. Lex, num. 5.* Angel. *verb. Religiosus, num. 29.* Silu. *verb. Religio 6. quæst. 6.* Nauar. *Comment. 4. num. 40. de Regul. Angles 1. part. quæst. vnic. de voto, art. 2.* (vbi id potuisse fieri, putat esse de fide.) Vega *tom. 2. cap. 86. cas. 12.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 2. in fin. & cap. 11. quæst. 19.* Vasq. 1. 2. *quæst. 95. art. 2. disput. 154. cap. 4. num. 29.* Banez 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 6. in fin. Manuel. tom. 1. qq. Regul. quæst. 44. art. 1. Galarza de clausura Monial. Bonacina de clausura, quæst. 2. punct. 1. & de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 19.* Lezana *verb. Clausura, num. 2.* & alij passim, quibus ex antiquis adde Gloss. in *cap. vnic. de statu Regul. & Archidiaconum, Dominicum Francum, & alios ibidem.*

SECTIO II.

Corollaria.

SUMMARIVM.

- 1 Pontifex potest Monachis aliqualem clausuram præcipere, nempe vt cum hac, vel illa limitatione exeant, vel ne à suis Conuentibus ultra vnam dietam abeant sine ipsius licentia, inspecta tamen Monasterij necessitate.
- 2 Pontifex potest Monacho clausuram indicare: quod etiam fieri potest ab aliis superioribus ob eandem rationem.
- 3 Pontifex si sine strictiori clausura Regula, & Institutum alicuius Ordinis conseruari non potest in suo vigore, potest eandem pro vniuerso Ordine decernere. Idem dic de eo, penes quem residet potestas statuta religiosa condendi.
- 4 Prælati Ordinum ab Episcoporum iurisdictione exempti, quasi Episcopalem iurisdictionem in suos Regulares habent, & possunt condere constitutiones, sicut Episcopus condere potest statuta ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia.
- 5 Doctrina Sanchez. limitatè intelligitur quoad iurisdictionem Prælati Regularibus debitam.
- 6 Prælati non exempti iurisdictionem aliquam statuendi in rebus non grauib. per consuetudinem possunt sibi comparare.
- 7 Prælati Ordinum potestatem habent statuta condendi; quamvis non omnes eandem, sed pro diuersitate Ordinum, priuilegiarum, & consuetudinum.
- 8 Generalis cum Capitulo generali non potest ferre nouam legem, nisi sit aditrium votorum essentialium obseruationem necessaria, & cur.
- 9 Religiosi proprium velle non habent, sed id per obediencia votum in superioris voluntatem transferunt.
- 10 Limita transulisse tantum illud velle, vt superior tantum præcipere possit quæ ad obseruationem Regula directè, vel indirectè conducunt.
- 11 Capitulares præter Regulam antiquam possunt facere nouum statutum, ex quo obligentur & ipsi, & Regulam professuri; non item Religiosi prius professi, qui capitulari statuto non interfuerunt.
- 12 Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Summus Pontifex non potest cogere Religiosos ad arctiorem viuendi modum, quam prima instituti forma postulat, nisi Regula reformatio ad triuina votorum essentialium obseruationem necessaria sit, & cur.
- 13 Summus Pontifex potest præcipere Religiosis ob instam causam id quod præcipit aliis clericis, licet in eorum regula non contineatur.
- 14 Religiosus professus regulam tempore quo accidentalia Religionis non erant in viridi obseruantia, non tenetur ad inuitatos rigores ipsius; secus verò si per Capitulum Religionis, vel per summum Pontificem decernatur primaria eiusdem obseruantia, & cur.
- 15 Regule reformatio necessaria videtur ad Ordinis conseruationem, cum absque ipsa paucissimi ad perfectionem religiosam peruenire studeant.
- 16 Religiosi si Ordo ipsorum à Fundatoris sui institutis recedat, & paulatim ad deteriora cum Ecclesia, & ipsorum Religiosorum spiritali detrimento labatur, tenentur acceptare reformationem Regule
 factam

- factam, vel à maiori parte Capituli, vel à summo Pontifice.
- 17 Constitutio Pij V. circa Franciscanos Conuenticuales in Hispania degentes laudatur.
- 18 Sententia lata contra partem non citatam, dicitur iuri natura contraria.
- 19 Citatio à supremo Principe quo casu omitti possit.
- 20 Religiosus iussus à Prelato Religionis ieiunare, vel subire aliam corporis afflictionem, Regula id non disponente, tenetur obedire; si id teneat in penam commissi delicti. Secus si ad magis merendum.
- 21 Religiosus tenetur obedire Prelato aliquid precipienti in cautelam praecavendi recidivam in aliquod peccatum, vel periculum imminens, saltem in casu, quo id valde conferat ad talem finem.
- 22 Prelato incumbit mediis opportunis praecavere spirituale subditi periculum.
- 23 Religiosus tenetur obedire Prelato aliquid precipienti ob aliquam publicam necessitatem.
- 24 Superior potest ex iusta causa coarctare libertates, & immunitates in regula concessas.
- 25 Verba regule, & circumstantia indicant an superior possit libertates in regula concessas coarctare.
- 26 An Prelatus, seu superior possit coarctare, & coarctandi iusta causa subsit, in dubio standum est superioris iudicio. Idem dic de alio impedimento Religiosi.
- 27 Praeceptum superioris in dubio habetur pro legis interpretatione.
- 28 Superior potest obligare privatum tantum ex iusta causa, quando ad exemplum aliorum & correctionem ipsius id expedire indicaret, licet regula non obliget sub culpa, sed poenitentiam.
- 29 Generalis non potest precipere Religiosis, quod eant ad instruendos Indos, vel alios populos valde remotos, nec ad convergendos infideles haereticos, vel schismaticos.
- 30 Limita praedicta non procedere in Religiosis Societatis Iesu, quia speciali voto ad id se obligant.
- 31 Opinio Lopez, & Rodriguez, posse nempe Prelatum cuiusvisque Religionis precipere Religiosis suis, quod Parochorum munus inter Indos obeant, refellitur.
- 32 Pius V. concessit, ut id munus obire possint, non tamen probat eos posse ad id obligari.
- 33 Pontifex non potest id precipere Religiosis, qui non sint e Societate Iesu, quia ceteri non obligantur ex vi voti ad obediendum Pontifici in omnibus, quae voluerit Pontifex.
- 34 Generalis cuiusvisque Religionis non potest precipere Religioso, quod acceptet Episcopatum, & cur.
- 35 Religiosus tenetur tantum obedire Superiori in iis, quae sunt secundum regulam, & pertinent ad statum Religionis.
- 36 Is tantum potest precipere Religioso, ut acceptet Episcopatum, qui potest Episcopatum confirmare.
- 37 Prelati nomine Pontifex etiam intelligitur.
- 38 Pontifex potest precipere Religioso de quacunque Religionem quod acceptet Episcopatum.
- 39 Potestas civilis potest cives ad Reipublicam munera capefscenda cogere.
- 40 Pontifex potest precipere Religioso non ratione voti obedientiae, sed eo modo, quo potest etiam precipere Clericis secularibus in ordine ad commune bonum universalis Ecclesiae.
- 41 Generalis non potest precipere Religioso, quod acceptet dignitatem extra Religionem, vel beneficium saeculare.
- 42 Opinio Imola, Ancharani, & Franchi non probatur, & quare.
- Thom. Delbene de Immunit. Eccles. Pars II.
- 43 Prelatus potest precipere Religioso, quod acceptet superioris munus, vel quodcumque beneficium consuetum regi per regulares sua Religionis.
- 44 Prelatus potest precipere Religioso quod acceptet beneficium sui Monasterii, licet sit parvi valoris, dummodo non cogatur relinquere alimenta necessaria à Monasterio sibi praestanda ad supplementum victus.
- 45 Prelatus potest precipere Religioso, quod acceptet beneficium, licet sit manuale, & ad munus amovibile, nisi iustam excusationis causam habeat.
- 46 Subditus iussus à Prelato ad acceptandum aliquod munus, debet detegere impedimentum, ad hoc ut cum eo dispensetur, & quatenus huiusmodi sit peccatum, tenetur ab eo declinare, & acceptare officium.
- 47 Subditus qui desperat posse se cohibere pravis motus, non tenetur obedire.
- 48 Subditus existimans se parum idoneum ad munera exequenda quoad scientiam, & alias qualitates extrinsecas, tenetur stare iudicio superioris.
- 49 Prelatus potest precipere Religioso, quod tempore pestis deserviat Religiosis donis suis in temporaliibus.
- 50 Bonum commune praefertur privato, etiam cura periculo vita.
- 51 Religiosus debilis complexionis, vel valde virilis bono communi Religionis, non tenetur obedire, si iussus sit servire tempore pestis.
- 52 Neque tenetur Religiosus deservire externis pestis infectis, quia id est supra, non iuxta regulam.
- 53 Prelatus non potest precipere Religioso, quod tempore pestis administret sacramenta extraneis, si tantum ei incumbat vita contemplativa; si vero vita activa, potest precipere in supplementum Parochorum.
- 54 Religiosorum munus est, esse Episcoporum, & Parochorum coadiutores in salute spirituali proximorum adiuvanda.
- 55 Prelatus potest precipere Religioso quod in certa loco stet ad tempus, seu potest dare illum in pignus, vel in obsidem pro necessitate Monasterii; secus si id faciat pro pace reipublica, & cur.
- 56 Doctores in hac materia discordes recensentur.
- 57 Superiori accusato de aliquo delicto, etiam pendente accusatione obediendum est.
- 58 Iudici durante syndicali reverentia exhiberi debet non minus, quam durante officio.
- 59 Superior Religionis licet ipso iure incadat in poenam privationis, attamen eam non contrahit ante Iudicis declarationem, exceptis censuris, irregularitate, & poenis testamentariis.
- 60 Glossa in capite ex parte, de accusat. declaratur.

EX dictis sequitur primum, quod possit Pontifex aliqualem clausuram Monachis precipere (nempe ut cum hac, vel illa limitatione exeant, vel ut non facile à suis Conventibus, ultra unam diem peregrinentur absque ipsius Pontificis licentia) si scilicet id ad bonam Monachorum gubernationem, & ut vota sua servarentur, esset necessarium. In quo sensu verum est, quod aiunt quidam Doctores, posse Monachos à Pontifice clausuram indici, quod etiam fieri potest ab aliis superioribus ob eandem rationem. Vide Banez, Bonacina, & Lezanam locis supra cit. ubi etiam recte subdunt, teneri Monachos, & quoscunque alios Religiosos, ad aliquem modum clausurae, iuxta suam regulam,

R. decreta

decreta summorum Pontificum, & constitutiones Religionum.

- 3 Sequitur secundò, quod si strictior aliqua observatio, spectatis omnibus circumstantiis, ad Religiosæ vitæ reformationem, vtiq; vota Religionis essentialia, aliæque Religionis salubria statuta seruentur, necessaria videatur, possit Pontifex, quin & is, penes quem potestas residet statuta Religiosa condendi, talem novam observationem pro vniuerso Ordine decernere; quia ex dictis talis observatio indirectè pertinet ad regulam, si absque ea non potest regula, & Institutum Ordinis in suo vigore conservari, cum Religiosus, quando regulam proficitur, implicite se obligat ad ea omnia, sine quibus status Religionis suæ conservari non potest.
- 4 Confirmatur, quia Prælati Ordinum ab Episcoporum iurisdictione exempti, quasi Episcopalem iurisdictionem in suos regulares habent: quapropter sicut Episcopus regularibus sibi subiectis ferre potest leges, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, iuxta doctrinam S. Thom. in 2. *distinct.* 44. *quest.* 2. ad 3. ita etiam Prælatus Ordinis exemptus, vel solus, vel cum Capitulo, facere poterit constitutiones, non quibus regula Ordinis notabiliter mutetur, sed tales, quæ ad regularem disciplinam, & pietatem augendam necessaria, vel valde viles videntur; quales constitutiones etiam Episcopi clericis, & regularibus sibi subiectis ferre possunt, sicuti supra dicebam: quare quod ait Sanchez *lib. 6. mor. cap. 2. num. 2.* iurisdictionem regularibus Prælati solum competere, vt compellant suos ad exequendam obligationem suorum votorum, id intelligi non potest de Prælati exemptis; cum hi, non minus quam Episcopi, Ecclesiasticam iurisdictionem summo Pontifici subordinatam habeant, ad subditorum suorum regimen necessariam: quin & Prælati non exempti iurisdictionem aliquam statuendi in rebus non gravibus per se consuetudinem, possunt sibi comparare: quare melius Doctores alij absolute aiunt, quod Prælati Ordinum potestatem habent statuta condendi, quamvis non eandem, sed pro diversitate Ordinum, privilegiorum, & consuetudinum.
- 8 Sequitur tertio, quod extra dictum casum (quo scilicet regulæ reformatio sit ad trium votorum essentialium observationem necessaria) non possit, neque Generalis cum Capitulo generali ferre novam legem, quæ sub regula, quam regulares professi sunt, expressè, vel implicite non continetur, seu per quam legem deducantur ad arctiorem vivendi modum, quem professi sint, cum id sit supra regulam; sic communiter Doctores. Angelus *verb. Religiosus*, §. 29. Sylvest. *verb. Religio* 6. *quest.* 6. Armilla *num.* 10. Valquez 1. 2. *tom. 2. disp.* 154. *cap. 4. num.* 25. & Sanch. *lib. 6. mor. cap. 2. num.* 18.
- 9 Quamvis contrarium etiam quoad hunc casum dixerint Gl. in *regul. quod omnes, de regul. iuris* in 6. Innocent. *cap. super eo*, & ibid. Abb. *num. 6. de Regul.* Rosella *verb. Lex, num. 6.* moti ex eo, quod Religiosi proprium velle non habeant, sed id per obedientiæ votum in Superioris voluntatem transulerint.
- 10 Ad quod argumentum facile responderetur, si dicatur, quod Religiosi per votum obedientiæ non transulerunt omne suum velle in voluntatem Superioris, vt qualibet ipse præcipere possit, sed solum ea, quæ ad observationem regulæ, quam profitentur, seu promiserunt, directè, vel indirectè pertinent, vt dixit Sanct. Thom. *quodlib.* 10. *art.* 10. Non nego tamen, quod possint Capitulares novum statutum facere, præter regulam antiquam, ita vt ipsi liberè consentientes tali statuto obligentur, sicut & alij postea professionem edituri, quibus regula mutata, & aucta, vt profiteantur, proponetur; non item Religiosi prius professi, qui Capitulari statuto non interfuerunt, neque in illud vquam consenserunt, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, *reg. 29. in 6.*
- 11 Quin sequitur, quod extra dictum casum (quo scilicet regulæ reformatio sit ad trium votorum essentialium observationem necessaria) neque possit Summus Pontifex Religiosos cogere ad arctiorem vivendi modum, quam prima instituti forma postulat; idque propter eandem rationem, cum speciale obedientiæ debitum, quo Religiosi in ordine ad summum Pontificem obstringuntur, proveniat ex ipsorum professione, & voto, quod est secundum proprium regulæ institutum: quamvis quæ aliis clericis, vel Ecclesiasticis personis ob iustam causam à summo Pontifice præcipi possunt (verbi gratia vt Episcopatum acceptent, in gravi Ecclesiæ necessitate, etiam cum proprio periculo, succurrant, & similia) ea quoque Religiosis præcipi possint, licet in ipsorum regula non contineantur: liquidem ipsi non tantum vt Religiosi, sed etiam vt Christi fideles, vtiq; clerici, summo Ecclesiæ Pastori subiiciuntur. Vide Silu. *cit. quest.* 6. Less. *de iustit. & iur. lib. 2. cap. 41. num.* 76. Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 11. quest.* 10. & Sanchez *cit. cap. 2. num.* 22.
- 14 Sequitur quarto, quid respondendum sit ad illam questionem: Si quædam Religionis accidentalia (verbi gratia stricta abstinentia, silentium, corporis afflictio, & similia) ab institutore regulæ præcepta sint, quæ tamen à tempore immemorabili, vel alio ad legem, seu regulam desuetudine abolendam sufficienti, observata non fuerint; vtrum vouens, seu professus regulam à primo instituto aberrantem, postea compelli possit ad rigorem instituti secundum institutoris voluntatem amplectendum? Responderit enim ex dictis, quod licet, si res absolute, & secundum se spectetur, talis vouens, seu professus compelli non possit ad amplectendam strictioris regulæ reformationem, sicuti docent Abb. *cap. super eo, de Regular. Silu. verb. Religio* 3. *quest.* 12. Nauarr. *cap. 12. numero* 50. & Miranda in *Man. tom. 1. quest.* 25. *art.* 5. *assert.* 2. & 3. & *quest.* 26. *art.* 10. quia præsumptio est, quod vouens regulam Ordinis, obligare se voluerit, sicuti tunc eius observatio in usu erat legitime, & cum Prælatorum approbatione; tamen si temporis progressu videatur regulæ reformatio esse necessarium medium ad Ordinis observationem, possit Prælatus cum Capitulo, & multò magis Pontifex, omnes compellere ad regulæ reformationem acceptandam, cum illam implicite promississe censeantur, vt patet ex dictis.
- 15 Caterum regulæ reformatio necessaria videtur ad Ordinis conservationem, si cum præsentis observatione paucissimi ad perfectionem Religiosam pervenire studeant, si cum scandalo sæcularium viuant, vt potius expedire videatur, Religionem dissolvere, quam ita continuari; si essentialia vota, verbi gratia quæ ad paupertatem Religiosam spectant, communiter non observentur. Quare cum plerumque, vt experientia docet, si Ordo aliquis à Fundatoris sui institutis recedit, paulatim ad deteriora cum Ecclesiæ, & ipsorum Religiosorum spirituali detrimento tendat, sit quod plerumque professi reformationem regulæ à maiori parte Capituli, multò magis à summo Pontifice factam, acceptare teneantur, vti docent Vasquez *citato cap. 4. num.* 5. Azor. *tom. 1. lib. 3. cap. 11. q.* 29. & Sanchez *cit. cap. 2. n.* 35.
- 17 Sequitur quinto, quod potuerit Pius V. anno 1567. constringere omnes Franciscanos Conventuales, vel Claustrales in Hispania degentes, à suis Conventibus eiici, & transire ad aliquem Mendicantium Ordinem,

dinem, qui multo arctior sua professione tunc erat, quia id erat necessarium, ut ij tria vota, quae professi fuerant, obseruarent.

- 18 Neque obstat, quod sententia lata fuerit contra partem non citatam, & inauditam (quod est contra ius naturae, & sic potestatem Pontificiam ipsam excedens, cap. 1. de caus. possess. ibi: *Necnon contra partem inauditam aliquid possumus definire*: & Clement. 2. de sentent. & re iudic. §. *caeterum*, vers. *hac*.) nam id fecit Pontifex rematurius considerata, & perpenis scandalis in Hispania ortis, iisque probatis, & notoriis, in quo casu, possessionem partis à supremo Principe omitti, testatur Baldus in l. *nec causas*, num. 3. de appellat. & Nauarr. cap. 25. num. 10.

- 20 Sequitur sextò, quod Religiosus iussus à Prælato Religionis ieiunare, verbi gratia die, qua regula non obligat, vel subire aliam corporis afflictionem, ultra contentas in regula, teneatur obedire, si id iubeat Prælatus in iustam transgressa regulæ, vel alterius delicti commissi poenam, secus si id præcipiat ad magis merendum, quia in priori casu ex asperitatibus continentur implicite, & indirectè in regulam, quam professus fuit: at in posteriori casu sunt supra regulam. Vide Rosell. verb. *Religiosus*, numero 10. Angel. verb. *Religiosus*, numero 29. Silu. verb. *Religio* 6. quasi. 9. Tabien. verb. *Obedientia*, quasi. 5. num. 6. Cordub. in exposit. Regul. S. Francisci. cap. 10. quasi. 2. dict. 6. & Less. lib. 2. cap. 41. num. 77. d. 9.

- 21 Item tenetur Religiosus obedire, si id præcipiat Prælatus in cautelam præcauendi reciduum in aliquod peccatum, vel periculum imminens (saltem in casu, quo id valde conferat ad talem finem) quia tunc non potest dici esse supra regulam, sed pertinere indirectè ad regulam, cum

- 22 Prælato incumbat mediis opportunis præcauere spirituale subditi periculum: sic contra Doctores mox supra citatos, docet Caieran. 2. 2. quasi. 88. artic. 8. d. ult. ultim. vers. *ad primum dicitur*. Angles part. 2. quasi. unic. de voto, artic. 2. difficult. 15. & Vasquez 1. 2. quasi. 95. art. 2. disp. 254. cap. 4. numero 20.

- 23 Item similiter teneatur Religiosus obedire, si id præcipiat Prælatus ob aliquam publicam necessitatem, quia & hoc tunc omnibus, & per aliquod tempus præcipi, non est contra, sed iuxta regulam. Cordub. reg. S. Francisci. cap. 10. q. 3. punct. 6. & Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. d. 9. n. 76.

- 24 Sequitur septimò, quod possit Superior ex iusta causa libertates, & immunitates in regula concessas coarctare contra regulæ, vel altioris Superioris præscriptum, si id Superiori in regula ex parte, vel ex toto facere non prohibeatur, quia tunc ex epicheia non est id contra regulam, vel eius limites excedens.

- 25 An autem id facere Superiori prohibeatur in regula: colligendum est ex verbis ipsius regulæ, & ex circumstantiis, sicut & in casu, quo Prælatus inferior limitaret licentiam, & immunitatem alicui subdito à Prælato superiori concessam, ob eandem rationem.

- 26 Caeterum, in dubio an Prælatus, seu Superior possit coarctare, & coarctandi iusta causa subdit, necne, standum est Superioris iudicio, sicut & in casu, quo subditus Religiosus valetudinarius, vel alio impedimento laborans, sit in debito, an teneatur ieiunare, abstinere à carnibus, officium recitare, &c. quapropter talis teneatur obedire Superiori præcipienti, ne ieiunet, abstinat à carnibus, officium recitet, &c. Nec obstat, periculum fractionis legis, quia præceptum Superioris in eo

Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

dubio habetur pro legis interpretatione. Vide Cordub. in Reg. S. Francisci. cap. 10. quasi. 2. dicto 6. Solum de secret. memb. 3. questione 2. conclus. 1. & Salas 1. 2. questione 31. tractat. 8. disput. unic. sect. 27. num. 55.

Sequitur octauò, quod quando regula ex se non obligat sub culpa, sed ad solam poenam, licet non possit superior obligare in vniuersum ad observationem illius sub culpa mortali, nec etiam veniali; possit tamen ex iusta causa obligare priuatim, quando ad exemplum aliorum, & correctionem illius, qui minus obedire consuevit, id expedire iudicatur: quamvis non possit propter vnius, vel duorum culpam totum conuentum sic obligare. Vide Vasq. cit. disp. 154. cap. 4. n. 21.

Sequitur nonò, quod non possit, neque Generalis, præcipere Religiosis, quod eant ad instruendos Indos, vel alios populos valde remotos, nec ad conuertendos infideles, hæreticos, vel schismaticos, quia est res difficillima, multisque animæ, & corporis periculis, etiam vsque ad martyrium, exposita, & sic excedens regulæ præscriptum. Lopez part. 1. cap. 56. Rodrig. 2. tom. Summ. cap. 9. num. 5. & 99. Regular. tom. 3. q. 19. art. 7. Cordub. in exposit. Regul. S. Francisci. cap. 10. q. 2. & Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. d. 9. num. 77.

Excipiunt nonnulli Religiosos Societatis IESV, & rectè, quia hi speciali voto ad id se obligant; quapropter in his tale præceptum non est supra, sed iuxta statutum ipsorum.

Excipiunt secundò Lopez cit. cap. 56. & Rodrig. cit. 31. cap. 9. num. 6. posse Prælatum etiam de aliis Religiosis extra Societatem IESV præcipere Religiosis suis, quod Parochorum munus inter Indos obeant, sed minus rectè, propter eandem rationem, quam supra dicebam, quod scilicet est id præter talium Religionum Institutum, & res periculis plena.

Non obstat, quod Pius V. concesserit, ut id munus obire possint: nam id solum probat licitum esse, tale munus obire, non tamen probat eos posse ad id obligari.

Quin sequitur propter eandem rationem, quod neque possit Pontifex id præcipere Religiosis, qui scilicet non sint à Societate IESV, siquidem ex vi voti, & professionis suæ non se obligant ab obediendum Pontifici in omnibus, quæ voluerit Pontifex; sed sicut aliis Prælatis regularibus in iis, quæ suam regulam non excedunt: quare solum poterit id illis Pontifex præcipere eo modo, quo potest clericis secularibus, in eo scilicet casu, quo necessitas boni communis id exposularet, uti supra dicebatur.

Sequitur decimò, quod non possit, neque Generalis de quacunque Religione, præcipere Religioso, quod accipiat Episcopatum; quia potestas, quam habent Superiores Religionis, non ordinatur ad bonum commune Ecclesiæ, sed solum ad bonum commune Religionis, vel bonum particulare Religiosi: sed Episcopatus non ordinatur per se, nec ad bonum Religionis, nec ad bonum Religiosi, sed ad commune bonum Ecclesiæ: ergo.

Accedit, quod Religiosus tantum tenetur obedire superiori in iis, quæ sunt secundum regulam, & pertinent ad statum Religionis; at fieri Episcopum non pertinet ad statum Religionis, immò ab illo eximit, & absurdum est, posse Prælatum subdito præcipere id, per quod ab eius obedientia eximitur: ergo.

Accedit secundò, quia is tantum potest id præcipere, qui potest Episcopum confirmare (per hoc enim potissimum constituitur Episcopus) at confir-

R. 2. mate

- mare solum potest Pontifex: quare quando S. Thoma 2. 2. *questione* 85. *art.* 2. Richard. *quodlib.* 3. *questione* 21. S. Antonin. 3. *part.* tit. 20. *cap.* 2. §. 7. Angel. *verb. Electio*, num. 3. Armilla *eodem verb.* numero 37. Silu. *quest.* 19. & Sot. *de iust.* lib. 10. *quest.* 2. *art.* 2. tradunt, teneri Religiosum obedire Prælato obliganti ad acceptandum Episcopatum, per Prælatum (inquit Sotus *loco cit.* ad 2.) intelligunt Pontificem.
- 38 Sequitur vndecimò, quod è contra possit Pontifex præcipere Religioso de quacunque Religione, quod acceptet Episcopatum, quia cum cura totius Ecclesiæ sit penes Pontificem, est penes ipsum talis potestas præcipiendi. Confirmatur, quia potestas 39 ciuilib ex facultate gubernatiua, quæ in omni communitate necessaria est, potest ciues ad Reipublicæ munera capeffenda cogere, l. si magistratum, *Cod. de decurionib.* lib. 11. & toto tit. de excusat. muner. *eod. lib.* & tradunt Cordub. *capite* 10. *quest.* 2. *dub.* 7. Valent. 2. 2. *disput.* 10. *questione* 3. *punct.* 3. *concl.* 6. Lopez 1. *part.* *capite* 56. *col.* 2. Less. lib. 2. de *iust.* *capite* 41. *dub.* 9. numero 76. & Rodrig. *tom.* 2. *sim.* *capite* 9. *num.* 5. & qq. *Regul.* *tom.* 3. *quest.* 19. *art.* ult. ergo sic, & c.
- 40 Cæterum potest Pontifex id præcipere Religioso, non ratione voti obedientiæ, sed eo modo, quo potest idem præcipere clericis sæcularibus, in ordine scilicet ad commune bonum vniuersalis Ecclesiæ, cuius cura spectat ad ipsam Pontificem, potestatem exercendo in omnes Christi fideles, vt patet ex dictis.
- 41 Sequitur duodecimò, quod non possit neque Generalis, præcipere Religioso, quod acceptet dignitatem extra Religionem, vel beneficium sæculare, vel etiam regulare alterius Religionis (quamvis vtrumque ex Pontificis dispensatione licitum sit,) quia id non est secundum regulam, sed præter illam, nec ordinatur ad commune bonum Religionis. Nauarr. *comment.* 4. de *Regular.* numero 23. Manuel. Rodrig. qq. *Regular.* *tom.* 1. *quest.* 34. & Less. de *iust.* & *iur.* *capite* 41. *dub.* 9. *num.* 49. quare mihi non probatur, quod docent Imola *capite Raynuius*, de *testament.* num. 71. Ancharan. *cap. si Religiosus*, de *elect.* in 6. numero vlt. & Franc. *ibid.* num. 3. nempe non posse Religiosum dissentire sine Prælati licentia electioni de se factæ ad talia munera, ex eo quod, inquit ipsi, religiosus careat nolle: nam ex dictis potius dicendum est oppositum, quia aliàs posset cogi, & Religiosus habet nolle in iis, in quibus non tenetur obedire.
- 43 Sequitur decimotertiò, quod possit è contra Prælatus præcipere Religioso, quod acceptet Superioris munus, vel quodcumque beneficium consuetum regi per regulares suæ Religionis, quia id est secundum regulam, & talis gubernatio spectat ad suam Religionem. Nauarr. & Man. Rodrig. in *locis supra cit.* qui subdunt, & rectè, quod possit etiam Prælatus præcipere Religioso, quod acceptet beneficium sui Monasterij, licet sit parui valoris, dummodò non cogatur relinquere alimenta necessaria ad supplendum victum à Monasterio sibi præstanda. Subdunt secundò, & etiam rectè, quod possit præcipere 45 Religioso, quod acceptet beneficium, licet sit manuale, & ad nutum amouibile, nisi iustam excusationis causam habeat, quia scilicet malitiosè ipsi confertur, eo quod litigiosum sit, vt litem terminet, & ea terminata, ipsi auferatur.
- 46 Cæterum si subditus à Prælato iussus, quod acceptet aliquod ex dictis muneribus, impedimento aliquo detineatur, dicendum est, quod vel tale impedimentum subditus ipse amouere potest, vt si habeat propositum perseverandi in peccato, quod muneri
- admittendo obstaret, & tale impedimentum tenetur ipsi amouere, vt obedire possit; vel tale impedimentum non potest ipse, sed Prælatus (dispensando scilicet) amouere, vt si irregularitate, quam Prælatus potest dispensare, detentus sit, & tunc debet Prælato impedimentum manifestare, nisi aliunde dispensationem obtineat, & Prælato dispensante, debet obedire; vel tale impedimentum non potest, nec ipse Religiosus, nec Prælatus amouere, & tunc Religiosus non tenetur obedire. S. Thom. 2. 2. *quest.* 185. *artic.* 2. ad 2. Turrecremata *capite olim*, numero 1. 47 ad 2. 8. *quest.* 1. S. Antonin. 3. *part.* tit. 20. *cap.* 2. §. 6. & Sot. de *iust.* lib. 10. *quest.* 2. *art.* 2. ad 2. qui subdit, & rectè, quod si subditus adeo pronum ad prauos motus se cognoscat, vt illos sedandos facile non speret, non teneatur obedire, quia in moralibus quod est valde difficile, reputatur impossibile. Subdit secundò cum Syluestro *verb. Episcopus*, *quest.* 3. *dist.* 4. & etiam rectè, quod si subditus parum idoneum se iudicat quoad scientiam, & alias qualitates extrinsecas, quas Prælatus prudens, & probus nouit, tenetur obedire, quia in tali casu tenetur stare iudicio Prælati.
- Sequitur decimoquartò, quod possit Prælatus præcipere Religioso, quod tempore pestis deferuiat Religiosis domesticis, etiam in temporalibus, cibaria scilicet, & medicamenta necessaria iis subministrando, quia mutua ministeria ad conseruationem boni status spectantia (quale principale est infirmorum cura) non sunt supra, sed iuxta regulam. Caiet. *opus.* *tom.* 3. *tract.* 9. de *vinculo obedientie*, q. vnic. & Rodrig. qq. *Regul.* *tom.* 3. q. 31. *art.* 3.
- Non obstat, quod inde Religioso periculum mortis immineat, quia bonum commune præfertur priuato, etiam cum periculo vitæ, & sic tenetur obedire, sicut obedire tenetur sæcularis à Principe iussus ire ad bellum, etiam si inde probabilissimum periculum mortis sibi imminere videat. Doctores communiter in tractatu de bello.
- Excipe primò Religiosum, qui debilis sit complexionis, vel facilior ad infectionem contrahendam, vel qui sit valde utilis bono communi Religionis, quia tunc, cum sint alij, qui id facere possint cum minori contagionis, & boni communis periculo, non tenetur obedire, & Prælatus imprudenter hunc periculo exponit. Rodrig. *cit.* q. 31. *art.* ult. & Rutil. de *fuga temp. pest.* lib. 1. *disp.* 2. q. 1.
- Excipe secundò, si Prælatus præcipiat Religioso, quod deferuiat peste infectis externis, quia id est supra, non iuxta regulam, cum non spectet ad mutua status Religiosi conseruanda ministeria, nec status Religionis villo modo ordinetur ad curam sæcularium in temporalibus habendam. Armilla *verb. Obedientia*, n. 5. Tabien. *ibid.* q. 5. *num.* 6.
- Sequitur decimoquintò, quod neque possit Prælatus præcipere Religioso, quod deferuiat peste infectis extraneis, etiam in spiritualibus, Sacramenta scilicet iis ministrando: & quidem si loquamur de Religioso Religionis, cuius Institutum non est vita actiua, nec iuuandis proximis vacare, qualis est Religio Carthusianorum, & similibus, conueniunt Doctores, vt videre est apud Caiet. 2. 2. *quest.* 26. *art.* 5. ad fin. Bañez *ibid.* *quest.* 33. *art.* 3. *dub.* 4. Nauarr. *capite* 24. numero 11. & Rodrig. *cit.* *quest.* 31. *art.* 3. quia id est opus eximie perfectionis alienum ab ipsorum Instituto: si verò loquamur de Religioso Religionis, cuius Institutum est vita actiua, & proximis iuuandis vacare, qualis est Religio Mendicantium, maior est difficultas, sed adhuc dicendum, quod non teneatur obedire, quando id sufficienter fieri potest per Parochos, vel per Sacerdotes, qui sumptibus Episcoporum vellent Parochis auxilium præstare,

præstare, quia id primò, & per se pertinet ad Parochos, quorum proprium munus est, Sacramenta suis Parochianis administrare, & pertinet in primis ad Episcopum curare, quod mediis Parochis, & aliis Sacerdotibus necessariis mercede conductis ei spiritali animarum necessitati subueniatur, quod si Parochi ei muneri obeundo non sufficiant, nec Sacerdotes ei muneri obeundo per mercedem inservire repellantur, tunc in subsidium tenetur Religiosus Religionis vitæ actiue obedire Prælati præcipienti; qui in tali casu non solum præcipere potest, sed & tenetur præcipere, quia Religiosorum munus est esse Episcoporum, & Parochorum coadiutores in salute spirituali proximorum adiuuanda; siquidem ob id elemosynis fidelium sustentantur. S. Thom. 2.2. *questione* 187. *art.* 1. ad 3. & *quest.* 188. *art.* 4. ad 2. & 5. & *opuscul.* 18. *cap.* 16. in fin. & Rutil. de fuga temp. pest. lib. 1. *disp.* 1. *quest.* 1. *conclus.* 10. quapropter in tali casu subditus Religiosus Religionis vitæ actiue tenetur obedire, si tamen non sit, ut supra dicebatur, Religiosus valde utilis, vel valde subiectus infectioni, iuxta ea, quæ supra dicebantur.

55 Sequitur decimosexto, quod possit Prælati præcipere Religioso, quod in certo loco stet ad tempus, seu possit dare illum in pignus, vel in obsequium, si id faciat Prælati pro utilitate, vel necessitate Monasterij, secus si id faciat pro pace, vel simili causa Reipublicæ; quia potestas, quam habet Superior Religionis, ordinatur solum ad bonum commune Religionis, non autem ad bonum commune Reipublicæ, ad quod ordinatur solum potestas, quam habet Pontifex, & sic potest solum Pontifex id præcipere, sicuti supra toties dicebatur; atque ita docent Abb. in cap. ex rescripto, n. 8. de iur. iur. Bart. & Socin. de regul. iur. reg. 267. & ita concordantur ceteri Doctores, qui inter se quoad hoc dissentire videntur; siquidem quod id possit facere Prælati, negant Gloss. cit. cap. ex rescripto, vers. obsequium dari. Bald. ibid. num. 1. Cardinal. n. 2. Imola n. 5. & Roman. singul. 505. vers. nunquid Episcopus. At affirmant Ioan. Andr. in dist. cap. ex rescripto, num. 9. Hostiens. num. 1. Felin. num. 3. Alex. de Næuo num. 33. Nauarr. lib. 3. *consil.* tit. de Regular. *consil.* 65. & Surdus de alim. tit. 8. *prin.* 38. n. 26 & 27.

57 Ceterum, an superiori accusato à subditis de aliquo delicto obediendum sit, pendente accusatione.

Respondetur affirmatiue, idque ob bonum commune, quia alioquin communitas viveret sine capite, & confunderentur omnia; atque ita in terminis docent Abb. in cap. ex parte, de accusat. n. 4. Felin. ibid. paulo post princip. & Surdus de alim. tit. 1. *quest.* 127. num. 5.

58 Confirmatur, quia Iudici, durante syndicato, reuerentia exhiberi debet, non minus, quam durante officio. Bald. & Iason, quos citat, & sequitur Surdus loco cit. num. 6.

59 Confirmatur secundò, quia Superior Religionis incidens in aliquem casum priuationis ipso facto suæ superioritatis, non contrahit talem poenam, etiam si de crimine palam constet antequam per sententiam Iudicis declaretur, & sic subditi ante talem Iudicis sententiam non possunt illum expellere à gubernatione, sed tenentur ei obedire. Doctores, quos citat & sequitur Ioan. Valerius in differentiis viriusque fori, verb. Poena, differ. 20. & Diana part. 2. *Miscell.* 3. *resol.* 67. Idemque de omni alia poena dicas, quod scilicet ante sententiam Iudicis, etiam si ipso iure, seu ipso facto sit inflicta, non contrahatur, exceptis censuris, irregularitate, & poenis testamentariis; qua de re Caietan. verb. Poena, communiter receptus, & nos dicimus infra dub. 23. per totam.

Obiicies: Gloss. cit. cap. ex parte, vers. alias, vide sentire oppositum: ergo.

Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars I I,

Respondetur, nego antecedens: nam reuera solum ibi Glossa intendit dicere, quod interim desistendum non sit ab accusatione, idque ob bonum commune, ne delicta remaneant impunita; non autem quod interim ei in ceteris (idque etiam, ut supra dicebam, ob bonum commune, ne communitas sit sine capite) obediendum non sit.

DVBITATIO IV.

An, & qui sint limites, intra quos clausura Monialium contineatur, quousque Moniales prætergrediendo, clausuram violent?

SUMMARIVM.

- 1 Monialibus non licet habere ostium, per quod ex Monasterio interiori introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem.
- 2 Monialibus, etiam terciariis, non licet egredi à ianua Monasterij, quæ est pro clausura Monasterij ipsius, etiam ad claudendam aliam ulteriorem ianuam, &c.
- 3 Locus clausura est, qui continetur ianua clausa, ad quam secularibus non patet accessus.
- 4 Moniales ascendentes supra tecti regulas, si intra eam partem, quæ Monasterium respicit, contineantur, clausuram non violant; secus si eam prætergressa ad alienam tecti partem transeant.
- 5 Qui inuentus est super regulas Ecclesie, habetur ac si inuentus esset in ipsa Ecclesia, quapropter gaudet immunitate.
- 6 Domus, & Monasteria pro eodem usurpantur in motu Pij V. qui in ipis, circa Pastoralis.
- 7 Monialis, sine iuste, seu iniuste à Monasterio egressa, & intra domum aliam priuatam inclusa, si ex hac egrediatur, clausuram non violat.
- 8 Domus Monasterij conigua non comprehenduntur intra clausuram, intra quas conuersæ professæ elemosynis destinata morari debent.
- 9 Monialis, quæ se ponit in rota, & fuit illam voluere versus partem exteriorem, ubi non est clausura, licet in opinione nonnullorum violet clausuram, secus tamen est in sententia Auctoris.
- 10 In egressu ad clausuram, sicut & in ingressu ad illam datur paritas materia.

Respondetur, videatur de hac re Motus prioris Gregorij XIII. qui incipit: Deo sacris virginibus, ubi sic ait: Declaramus præterea, nullis Monialibus, etiam Terciariis, licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam secularibus ad Missas & divina officia parere solet accessus, sed esse omnino munito obstruendum. Nec itidem licere Monialibus, etiam Terciariis, egredi à ianua Monasterij, quæ est pro clausura Monasterij ipsius, etiam ad claudendam aliam ulteriorem ianuam, quæ patet solet aditus secularibus venientibus ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquii destinata, quæ vulgò Parlatoria vocantur, vel ad pulsandam ipsam ianuam clausuram: quæ loca cum saltem pro causis prediatis parere soleant secularibus, extra clausuram censeri debent etiam quo tempore clausa sunt. Vide Nauarrum comment. 4. num. 44. notab. 4. de Regular. & lib. 3. *consil.* tit. de Regular. *consil.* 66. *edit.* 1. Rodrig. tom. 1. *qq.* Regular. *quest.* 44. *artic.* 3. & Lezanam tom. 1. *cap.* 25. numero 18. & verb. Clausura, num. 8. & seqq.

R 3 Hinc